

pace cum Galliarum Rege firmanda spe abjecta , gravi , ac periculo bello Rempublicam implicitam , & ne quid sibi adversum accideret , timentem , ad concordiam cum Turcis adhortaturus esset . Attamen hæc omnia Senatus ardor vincebat , atque in eo , quod semel sanctum fuerat , constans adeo , & ardens studium extabat , ut nihil , quod in belli usus opportunum , aut necessarium esset , prætermitteretur . Placebat in primis Andreæ Grito Principi , ut Andreas Auria , atque Urbinas convenienterent , ut , de belli consiliis , ac rationibus inter se collatis sententiis , differerent ; latumque ab illo , ac sex viris de ea re ad Senatum est . Contra Marcus Minius , Consilii Sapiens , differuit : ex illorum colloquio nihil , quod communibus rebus conduceret , expectari posse ; bellicæ virtutis æmulatione dissentientes duces , veluti fomite addito , acrius exarsuros ; cum præsertim Urbinas Auriaæ primas partes minime concederet : inde mora , & cunctatione præsentem rebus opem poscentibus , hoste , ut ferebatur , Cretam invasuro , subsidia defutura . Ad hæc Princeps , opportunum , inquit , tempus esse , quo de bello administrando , ac de iis , quæ objici possent impedimenta , disceptaretur ; ne tum ancipiti , atque inani consilio , cum rerum gerendarum tempus instaret , de iis agendum foret : his , quæ difficillima se se offerunt initio , discussis , atque animadversis , maturam opem afferrri posse ; in medio rerum cursu singulis obviam ire , cunctis adesse , neque temporis , neque virium esse : infelici eventu ad Abduam commissum prælizum testari , in quo dissentientes Petilianî , ac Liviani sententiae exi-  
tiosam , & funestam cladem Reipublicæ intulere : neque rem tanti operis esse , quin cito expediri posset , ac bellum firmiori , & certiori ratione gestum exiguum banc cunctationem compensaret : optima mente Urbinate esse ; neque verendum , ne in publici boni gratiam privatos affectus , & similitates minime comprimeret . Senatui rem in aliud tempus rejicere placuit . Deinde Vincentio Capellio , classis imperatori designato , vexillum solemni ritu ex præsca consuetudine , inter missarum sacra , consuetis ceremoniis , delatum est : quo accepto , statim ad classem profectus est . Vincentio Fideli a secretis , ut Mediolano Genuam peteret , jufsum , ut Andream Auriam ad classem quamprimum educendam impelleret ; Antonium Auriam in Cretam statim con-

Vincentie  
Capellio ve-  
xillum im-  
peratorium  
delatum.  
Vincentius  
Fidelis a  
Senatu ad  
Auria mis-  
sus.